

hoc supremo convenit, igitur omnium summus est. Luna quia citissime, infima. Iupiter quia secunda movetur tarditate, subest Saturno. Mars, quia tertia, subest Iovi. Sed farentur iterum, hac ratione nihil de Sole, Venere, ac Mercurio statui posse, qui prope eadem feruntur celeritate. Sed duo non adverterunt. Alterum, quod quia celerrime omnium octava quam vocant sphaera, suum perficit motum XXIII, scilicet horarum tempore, infra etiam Lunam esse debere. Qua celeritate, cum etiam planetae ferantur, et non ferantur, uti est demonstratum motu raptus, Planetae inter stellas erunt interpositi, et nullus altior fuerit alio, nisi certiores afferant rationes. Alterum autem non cogitarunt in eodem spacio viae, posse a duobus tardius et citius iter confici, pro virium cuiusque robore, quod apud nos, tum in animalium conspicitur cursibus evenire, tum in navibus eodem vento, aut non eodem euntibus; et pronavis mole, et velorum magnitudine, et remigum, tum robore, tum moltitudine. Nihil ergo ex motus tarditate, et velocitate, de quatuor planetarum ordine conficiunt. Tertia eclipsium methodo conficiunt, et non conficiunt quatenus scilicet Luna, Solem, Venerem, et Mercurium eclipsibus operit. At non conficitur, certi quicquam, an Sol supra ambos sit, an infra ambos, quod Plato, et Aristoteles sensere. An vero sit Venus altior Mercurio, an hic Venere altior. Itaque cum haec sint incerta omnia, non est Astronomorum decretis standum. Quid igitur in tanta quaestione audebimus pronunciare? Profecto, si visui, et apparentiae credamus. (Credere autem hac in re, alii sensui nulli est par) modo cum haec scribimus, Saturnus ex eorum computis, ex visu ipso, lucet in Geminis, et clarissime discernitur. Iupiter in Scorpione. Mars in Sagittario, Venus in Ariete, nullus tamen horum inferior stellis eius asterismi reliquis apparet; sed in eadem cum eis altitudine conspicitur. Neque item alius alio, aut altior, aut depressior spectatur. Igitur verior fuerit, quam modo referebamus, sententia, eos inter reliqua habitare sidera. Interque ea suos cursus motusque alios peragere. Et nullos esse, aut orbis, aut caelos eorum proprios, qui non nisi una refulgeant stella. Atque ideo recta razione, simul cum eis, XXIII horarum spacio, diurnam conficere circumvolutionem. Neque ad instrumenta sua Astronomi confugiant, quae omnia et oculos eorum, et iudicia fallunt, multis quidem fallaciis aliis, sed duabus his evidentissimis. Altera quod eorum centra cum mundi centro coincidere supponunt, cum tamen eis integro terrae semidiametro. Millibus passuum tribus mille, atque amplius quingentis superstent, quae distantia non est spernenda, quantumvis caelum a terra distet, et quanti, non autem puncti, uti iam diximus, cum eo habet proportionem. Altera vero quod instrumentis eorum, credunt integrum caeli medietatem supra horizontem dimetiri, quod esse falsum iam ante, dum de caeli ageremus fornice, demonstratum est. Motibus autem aliis cuique propriis pluribus moveri, quorum summa est, ut ipsi in contrarium nitantur, sideribus reliquis, et uti loqui consueverunt ab occasu in ortum, qui nulli in mundo sint; sint tamen nostri respectu. Et praeter hunc, aliis agi quibusdam fati multis. Quinque scilicet illi, quos proprie planetas nos appellavimus. Directione, et tunc velocius moventur. Duplici statione, in quibus videtur stare, et nullum ciere motum. Retrogradatione, quando scilicet moventur tardius. In qua ab ortu in occasum videntur ferri, sicuti in directione, ab occasu in ortum. Et dum hisce cientur, modo ab ecliptica ad Septentriones feruntur, modo versus meridiem, terminum tamen, ultra sex gradus utrimque non excedunt, ita ut tota latitudine gradus XXII non exeant. Sed et minores se ipsis interdum apparent, interdum maiores quoque, quasi a locis suis, sursum vel ascenderint, vel ad infima sua descenderint, et tunc maiores apparere, sicuti in ascensu minores. Quoniam unum idemque corpus, quam pius nobis locetur, apparet maius, quanto vero procul magis, tanto apparet minus. Sed Astronomi haec omnia eccentricis illis fuis atque epicyclis adscribunt, nos vero, eorum naturis spiritibusque, et multo magis, animis eorum ac mentibus. A quibus per hos motus reguntur, et divinam exequuntur providentiam, et universi conservant harmoniam. Hi sunt ergo planetarum motus, qui ad actiones ab Aristotele astris tributas pertinent. Modi autem quibus mundi harmoniam efficiant, haud procul hinc patebit, si passiones eorum quasdam prius explicemus, et Solis Lunaeque naturam exponamus. Passiones autem quas dico, in alteratione